EX TRACTATU

DE VERA RELIGIONE

THEOREMATA SELECTA

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS
QUINTI ECCL. DOCT.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

JOHANNI JACOBO MILLO

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI AMPLISSIMO

SANCTISSIMI D.N. BENEDICTI XIV. PRODATARIO
TITULI S. GRISOGONI

Nuncupata, publicè ad diſputandum proponit.

FR. JOHANNES FRANCISCUS RIGO

GENUENSIS ORDINIS PRAEDICATORUM.

In Conventu S. Sabinae de Urbe S. Theologiae Auditor.

PRÆSIDE

A. R. P. F. VINCENTIO MARIA
FIORAVANTI FERRARIENSI

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE PRIMARIO.
Facta omnibus Argumentandi Poteſtate poſt Tertium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ROMÆ M. DCC. LVI.
EX TYPOGRAPHIA S. MICHAELIS, PER OCTAVIUM PUCCINELLI.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS.

QUod a Deo Optimo Maximo præcatus ſum, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut more, inſtitutoque majorum noſtrorum, eò tandem proſpero appulſu deducerer, quo*

Digitized by Google

ſtudiorum meorum curſus, quietiſſimo in portu conſiſteret, hodierna die ampliſſimo dignationis tuae munere mihi gratulor conſequtum; quum in clientelam me, fidemque tuam recipere dignareris, & receptum de rebus difficillimis diſceptantem auctoritate tua, defenderes fortiter, & tuereris. Ac, ne quis à nobis hoc agi forte, miretur, quum nulla in me apud Eminentiſſimum Virum eſſe ſentiam merita, quae in ſpem tantam evcherent, ut patrocinio tuo frui tandem me poſſe confiderem, convertat animum reſpiciatque, quo ad longiſſime poterit, ſpatium praeteriti temporis, atque, quum inde uſque ab prima rerum tuarum memoria repetens, te viderit omnibus Viris doctis, Principem, & ad ſuſcipiendam, & ad perficiendam rationem horum ſtudiorum extitiſſe, atque bonis artibus, ſcientiiſque, praeſertim autem Religioni, te Mecoenatem inclytum a Deo Optimo Maximo datum, haud quaquam temerarii me auſus

re-

redarguet hodierna die, quum auctoritatem hujus loci contingere, & qualemqumque hunc meorum ſtudiorum fructum, tuo obſequentiſſimus Nomini decernerem nuncupare, ut quae eſset in me tuorum maxima vis meritorum, atque amplitudo, aliqua ſaltem ſignificatione, & officii genere declararem. Nam ut primum, Caſali, ubi natus es, loco nobili, & celebri Montis ferati Urbe, & copioſa, atque eruditiſſimis Viris, ac liberalibus ſtudiis affluenti, è pueris exceſſiſti, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, Senas ſtudiorum cauſa miſſus, ibi celeriter te antecellere omnibus ingenii gloria contigit: poſtea Vir non tàm aetate, quàm ſapientia, & ſuaviſſimis, graviſſimiſque moribus effectus nobiliſſimis Italiae Urbibus, praecipue tamen Anconae, & Bononiae, atque ultimo Romae, tantam in omni genere laudis gloriam es conſequtus, ut in ampliſſimum Eminentiſſimorum Car-

di-

Digitized by Google

dinalium collegium adſcriberereris. Quum enim BENEDICTUS XIV. *Pontifex Maximus, (cujus ſapientiae merita nullius eſt tantum ingenii flumen, nulla dicendi tanta vis, tantaque copia, quae non dicam exornare, ſed enarrare ne quidem poſſit,) opera & ſtudio tuo praeclariſſimo uſus in graviſſimis Eccleſiae negotiis, omnibuſque iis muneribus, quae in* Curia *Romana primum, deinde verò in* Epiſcopatibus *Anconitano, &* Bononienſi*, ac tandem in Supremo Pontificatus culmine plurimorum annorum curriculo functus eſt, prudentiam tuam, dexteritatem, fidem, ſapientiae denique incredibilem vim, ac pene divinam expertus eſſet, te arctiſſimo, & neceſſitudinis, & amoris ſui munere cumulavit, maxime verò hac ampliſſima Cardinalatus dignitate, qua totius Reipublicae Chriſtianae bono laetiſſime frueris.*

Etſi vero haec magna ſunt, PRINCEPS EMINENTISSIME*, tuus tamen*

men

Digitized by Google

men animus nunquam hiſce anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus, ſemper immortalitatis amore flagravit, cujus rei argumentum maximum illud eſt, quod non Religioni modo diligentiſſime provideres in optimis, ſanctiſſimiſque Hierarchis conſtituendis, verum & contra ipſius Religionis hoſtes ardentiſſimo in Chriſtum Jeſum amore ductus animadverteres. Atque haec quidem tua praeclariſſima virtus mihi cauſſae fuit, cur cum potiſſimum hac die contra Spinozam, Hobbeſium, Collinium, Tindallium, Woolſthonium, Mandevillium caeteroſque non modo incredulos Atheos, Pantheiſtas, Latitudinarios (ſic enim vocant). Verum & contra omnium ferme Haereticorum genus diſceptaturus eſſem, te Mecenatem potentiſſimum, exoptarem vehementiſſime; Quod quum mihi ſumma felicitate tandem obtigerit, incredibili animi alacritate, in hoc doctiſſimorum virorum coetu dimicaturus prodeo

deo

Digitized by Google

deo, conſidens fore, ut Dei Optimi Maximi conſilio conſtitutum ſit, tenuitatem meam, vel ut dicam melius, veram Religionem de ſuis hoſtibus ſub tanto Auſpice triumphaturam. Dicebam.

Digitized by Google

EX TRACTATU
DE VERA
RELIGIONE.

I. CUm quaeſtio appetitio ſit cognitionis, quaeſtioniſque finis inventio, ut Author eſt Cicero (*a*) Quaeſtiones de vera Religione tractaturi, ut res non inanis, ſed totius humanae felicitatis in hac vita, Divina Religio monſtretur, ex eo quod totius cauſſae fundamentum eſt, ac baſis maximè exordiri placuit, videlicet Deum eſſe; cujus rei veritas ex eo primum coaleſcit, quod Atheorum nullus, etſi conatu omni, atque vi niſi ſint, uſquemodo probare potuerit Deum non eſſe.

II. Deinde verò cùm omnium gentium conſenſione per univerſum humanum genus haec noſtra ſententia ſicut Moyſis ſcriptis continetur longè, latèque pervagata ſit, Jure quodam inferimus hanc enunciationem, Deus eſt, multo certiorem videri debere viro ſapienti, ea qua ex gratia dicitur: Extitit Julius Caeſar, ſeù Alexander Magnus; ſi enim haec

(*a*) Lib. 4. Accadem. quæſt. pag. 40. Edit. Amſtelod. 1659.

duo poſteriora veriſſima perhibentur, nec ab Sapientum ullo indubium unquam meritò revocantur, quià ſcriptores omnium graviſſimi, ſive Romanarum rerum, ut Vellejus (*a*) Paterculus, Svetonius (*b*) Plutarcus (*c*) Appianus (*d*) Dio Caſſius (*e*) Plinius, Cicero innumeris penè ſuorum operum locis, ſive Graecanicarum ut Demoſtenes (*f*) Diodòrus Siculus (*g*) Juſtinus (*h*) Arrianus (*i*) Aelianus (*k*) Plutarcus in Alexandro, Strabo (*l*) Appianus (*m*) Julius Solinus (*n*) Curtius caeterique paſſim eam nobis ſuis ſcriptis tradiderunt; omninò mirum videri debet quomodo cum non Scriptores modo aliqui, ſed univerſum penè genus humanum hujus enuntiationis veritati atteſtatum ſit, de ipſa potuerint Athei addubitare. Omnium ſiquidem ſapientum ſuaſione firmatum eſt, quae de Mundi origine, Deique exiſtentia ab Moſe Judaeorum legiſlatore ſcripta ſunt, jam olim in antiquiſſimis Phaenicum hiſtoriis contineri; quas è Sanchuniatone in unum Corpus redactas tranſtulit Philo Biblius (*o*) quaeque, & apud Indos (*p*) Egyptioſque (*q*) obtinuerint: quapropter apud Linum, He-

---

(*a*) Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 41. & alibi ſæpè.
(*b*) Svetonius in Julio cap. 4. & ſequen.
(*c*) Plutarcus in Cajo Cæſare.
(*d*) Appianus de Bello Civili.
(*e*) Dio Caſſius lib. 41. Plinius lib. 7. cap. 25.
(*f*) Demoſtenes in oratione contra ſectionem.
(*g*) Diodorus Siculus ad ann. 3. Olympiadis 105.
(*h*) Juſtinus lib. 12. hiſtoriar. cap. 12.
(*i*) Arrianus lib. 1.
(*k*) Aelianus variar. Hiſtoriar. lib. 13. cap. 7.
(*l*) Strabo lib. 14.
(*m*) Appianus lib. 2.
(*n*) Julius Solinus cap. 40.
(*o*) Viden. Euſebius lib. 1. præpara. Evang. & Plutarchus in Sympoſiaco 8. Problemate 1. Appollonius in Argonautico 4. Macrobius Saturnalium lib. 7. cap. 16. cæterique ut Lynus Orpheus, Timotheus Cronographus, Scaliger lib. 1. Græcorum Chronicorum Euſebii.
(*p*) Indorum circa Dei exiſtentiam, rerumque omnium efformationem ſententiam erudite admodum tradunt Strabo lib. 15. ſuæ Geographiæ, & Clemens Alexandr. lib. 1. Stromatum ex 3. Megaſthenis Indicorum lib.
(*q*) Egyptiorum verò Laertius in Proemio, Diodorus Siculus in ſua Bibliotheca ad illa verba - Cum primus res univerſa exiſtere cæpere &c. Macrobius in 7. Saturnalium cap. 16.

Digitized by Google

(*a*) Heſiodum, (*b*) aliorumque Graecorum plures, & Chaos, & caeterorum Animantium, hominiſque ad Dei imaginem efformatio deſcribitur, quae & apud Ovidium in ſuo primo Methamorphoſeos libro omnium poſtremum carminibus exarata invenientur. Dei rurſum verbo omnia fuiſſe condita non Epicharmus (*c*) modo, & Platonici ſed & Orphica Carmina (*d*) tradiderunt, ac ſupra ſiderum loca Dei optimi, Maximi Sedem, Aratus (*e*) & Catullus (*f*) poſuerunt.

III. Vetuſtiſſimum Deum eſſe, atque ingenitum, nulloque principio exortum. Nec verò mundum hunc niſi pulcherrimum eſſe poſſe, cum Dei opus ſit, atque ab ſuprema ejus mente profectum, à qua cuncta diſpoſita ſunt, ſpirituque ipſius, rebus vita, inſpiratio, & omnia infunduntur ex veterum Diſciplina. Tales (*g*) edocuit, quibus & concinunt Heſiodi

(*a*) Lini locus eſt celebris eo in Carmine quo Moſis verba Geneſeos 1. & 2. cap. concludi videutur.

Tempore primævo ſimul omnia mixta fuerunt &c.

Quæque, & apud Calcidinm in Timæi explicationem, nec non multò luculentius apud Anaxagoram, nos edocente Timone Phliaſio, reperies.

(*b*) Vidend. in ſua Theogonia Heſiodus ad illa carmina.

Principio natum Chaos &c. ex quo, & ſua deprompſit in Argonauticis Apollonius. Epicarmus quoque Comicorum vetuſtiſſimus ex receptiſſima traditione cecinit.

Sed Deos primum extitiſſe fertur, ante omne Chaos.

Mitto Ariſtophanis in Avibus teſtimonium quod nobis conſervarunt Lucianus in Philopatride, & Suidas nec non Juvenalis Satyra 15., Cicero quoque de Natura Deorum, Saluſtius initio Belli Chatillinarii, & Plinius lib. 11. cap. 26.

(*c*) Epicarmi iuſignis verſus eſt.

Et Dei à ratione.

Ratio naſcitur mortalium.

Ex Platonicis verò videndus Amelii locus apud Euſebium lib. 11. Præparationis Evang. cap. 19. Cirillus lib 8. contra Julianum, Auguſtinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 19., & Tertullianus adverſus Gentes, qui præcipuè Zenonis meminit, quem poſtea ſecuti ſunt Cleantes, Criſippus, Archedemus, Poſſidonius teſte Laertio in Zenone, quibus accenſendi ſunt Seneca epiſt. 65., & Calcidius ad Thimæum.

(*d*) Extant Orphica Carmina inter Juſtini Martyris opera, in admonitione ad Graecos, & in lib. de Monarchia; nec non apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromat. & Euſebium lib. 13. praeparat. Evang. ex Ariſtobulo.

(*e*) Aratus ad illud Carmen. Quantus & ille videt ſubter veſtigia Divùm &c.

(*f*) Catullus. Sed quamquam me nocte premunt veſtigia Divùm.

(*g*) Apud Laertium.

Digitized by Google

ſiodi (a) & Orphica Carmina (b) Hominem quoque ex terrae limo formatum Heſiodus (c) Homerus (d) Calimacus (e) ſcripſere. Denique unum eſſe Principem Deum, cujus imperio univerſa ſint condita ex omnium gentium, totiuſque humani generis conſenſione teſtatur doctiſſimi (f) Varonis locus. Coetera verò quae integro Geneſeos libro continentur vel totius Orbis efformationem, vel humani generis propagationem, aliaque id generis, homines, vel Deum ſpectantia, habent Beroſus in Chaldaicis, Manethos in Egyptiacis, Hiromus in Pheniciis, Pauſanias, Hellanicus, Hecataeus, Philoſtratus in Grecanicis, Plinius de Romanis, Gallis, & Italis; de Celtis veró, Indiſque Dio Caſſius, Juſtinus Martir, Strabo & Maimonides; de Calaminenſibus quoque Bracmanis, & Sciamenſibus, inter caeteros Ferdinandus Mendeſius, Joſephus Accoſta, & Antonius Errera, poſteritatum memoriae tradiderunt. Eadem fermè de Afris, Trogolditis, Garamantis, Etiopibus, Libiis Cirenaicis habent Eneas Gazenſis, Herodotus, Diodorus Siculus, Hecátaeus, Philoſtratus, Plinius, Pomponius Mela, & Hieronymus. Gentes inſuper, quae ſeptentrionales Oras incolunt, Gothos videlicet, Cymbros, Scytas, Sarmatas, Germanoſque hoc idem ſenſiſſe, nempe Deum eſſe, authores ſunt apud Stobeum, Silius Italicus, Valerius Maximus, Robertus Scheringhius Keiſlerius; deinde

verò

(a) Heſiodus loc. ſupracit.
(b) In Orpnicis Hymno noctis.
(c) Heſiodus ad illa Carmina.
Mulciberumque moras jubet omnes ſolvere & undas.
Commiſcere ſolo, atque humanam imponere vocem.
(d) Homerus Hyliados lit. H. Inſignis hac de re eſt locus Euripidis apud Tullium in 3. Tuſculanarum quaeſt. lib., quem & nos edocuit Stobaeus eo titulo, qui eſt de eventibus rerum fortiter ferendis.
(e) In Scazonte.
(f) Varonis locus extat apud Auguſt. lib. 4. de Civit. Dei Cap. 31. Habetur & alius Sophoclis ad illa Carmina.
Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus &c.

Digitized by Google

verò Samuel Puſendorſius, aliique ſcriptores innumeri (*a*) quorum opera ſapientum manibus aſſiduo uſu terruntur. Omnium igitur gentium ſententia cum ſit Deum eſſe, Deum omnia condidiſſe, & ex eo quod impiis poſt mortem debita inferat ſupplicia, juſtiſſimum eſſe, caeteriſque id generis attributis excellere multo evidentior ſit, neceſſe eſt, haec enuntiatio: Deus eſt, qualibet alia, quae nonnullorum hominum ſolum eſſe perhibetur.

IV. Praeter ſummorum Virorum Authoritatem, quae omnium gentium, totiuſque humani generis conſenſione monſtratur, omnino, & Deum eſſe, incoepiſſe Mundum; maximi etiam ponderis ſunt ea rationum momenta, quibus impoſſibilis mundi AEternitas comprobatur. Horum pleraque doctiſſimorum Virorum (*b*) operibus continentur, qui tum contra veteres, tum contra recentiores Atheos dimicavere. Si enim Mundus à parte ante à ſe extitiſſet, eſſet omnino independens, & neceſſarium: haberet ergo eſſe quoque independens, & neceſſarium à parte poſt; ſicut enim ſuum eſſe ab nullo penderet, quam à ſe ipſo, ita ejus conſervatio ab nullo penderet, quam à ſe ipſo; ſicut igitur ipſius natura ejuſdem mundi productionis eſt capax, ità & ejus conſervationis;

(*a*) Teſtes, Scriptoreſque, quos ſimul congeſſimus reperies citatos ab Joſepho lib. 1. Antiquitatum cap. 4. Lactant., Firmian. in ſuis inſtitutionibus, Euſebio paſſim in ſuis de preparatione Evang. libris illuſtriſſ. Daniele Huetio in ſua Demonſtrat. Evangelic. [quem tamen multa turbare, cum viris omnium doctiſſimis ingenuè fatemur] Natali Alexandro in Hiſtor. Eccleſ. veteris Teſtam. art. 2. & 3. ad primam Mundi ætatem: nec non ad ſecundam Mundi aetatem cap. 2. differt. 10. ubi agit de Moſis ſupra omnium gentium Philoſopnos Hiſtoricos, & Poetas antiquitate.&c.

(*b*) Stobaeus. Budaeus. Abbadiè, in ſuis Operibus quæ de hoc argumento ſcripſerunt.

Hugo Grotius in ſuo Aureo opuſculo de vera relig.

Gerdilius lib. 2. introductionis ad ſtudium religionis.

Dorrellius à Dialogo 14. uſque ad 23.

Moniglia in ſuo doctiſſimo Opere contra Materialiſtas.

Elizalde de vera Religione integro opere ubi profundiſſime Dei exiſtentiam demonſtrat, omneſque Atheorum errores barbaro quidem ſtylo, ſed invicta demonſtratione confutat.

Digitized by Google

nis; ergò ſi ejus exiſtentia eſt neceſſaria, ità & conſervatio: utraque igitur aeterna; totum enim cum nihil aliud ſit, quam partes ſimul ſumptae, ſi totum eſt aeternum à ſe: à ſe & aeternae partes ſint, oportet; nulla porrò pars eſt à ſe aeterna ſive à parte ante, ſive à parte poſt, ſive conſiderentur partes in individuo, ſive quoad earum ſpecies; ſpecies enim cum non ſint ab individuis ſeparatae, ſi individua non ſunt aeterna: invictè concluditur, neque ſpecies aeternas eſſe poſſe. Evidens namque eſt ſpeciem quamlibet puta humanam poſſe interire penitùs, cùm ſit ſuapte natura contingens, adeo ut nullam neceſſitatem haec intelligatur habere praeter eam, quae ipſi à ſua cauſſa tribuitur; atqui cauſſa mundum producens cum omnium perfectiſſima concipiatur, non poteſt libertate carere, qua mundum producere, vel non producere quiverit. Si cauſſa haec liberrima potuit mundum producere, vel non producere, non habet ergo neceſſitatem mundus; Cum non habeat quod intrinſecè contingentiae, & deſtructioni repugnet. Cum igitur in eo quod exiſtit a ſe, ejus eſſe ſit cum ſua natura identificatum, & non poſſit non minus non eſſe à ſe, quam non ab exiſtentia ceſſare, in eo quoque in quo rerum ſpecies non ſunt à ſe, ſed ab extrinſeca liberrima cauſſa contingentes, res, Munduſque ex ipſis coaleſcens, neceſſaria non erunt, & a ſe: erunt igitur ab alio ſcilicet Deo.

V. Atheiſtae rurſum Mundi aeternitatem ſupponentes, ſupponant quoque neceſſe eſt infinitam generationum ſeriem. Cum igitur ſaltem multo probabilius ſit, impoſſibilem eſſe hujuſmodi infinitam ſeriem, multò quoque probabilius ſit oportet, etiam ſi ſolo rationis nutu ducamur, Mundum non eſſe aeternum. Si enim Mundus aeternus eſſet, impoſſibile omninò foret quempiam noſtrum oriri, aut interire; cum nullus ex hypoteſi enaſci potuiſſet Mundo in aeternum exiſtente, niſi infinita generationum ſerie praetergreſſa. Impoſſibile porrò eſt, quod infinita generationum ſeries labatur in dato infinito temporis ſpatio; impoſſibile namque eſt, & repugnans quod temporis ſpatium infinitum intelligatur, & ſit: & tamen pertranſeat; ſi enim pertranſit, terminat; ſi termi-

nat,

Digitized by Google

nat, ergo terminus in infinito: nullus in infinito terminus, ergo nullus in infinito tempore tranſitus: ergo vel nulla generationum ſeries, vel generationum ſeries infinita impoſſibilis; ſeries enim hujuſmodi tranſeunt. In ſuo tranſitu deſcendendo deſinunt, ut patet in iis qui & naſcuntur, & intereunt. Cum igitur deſcendendo in termino ſiſtat humana ratio, in eo quoque ſiſtat neceſſe eſt aſcendendo, cum non minus repugnent tranſitus, & praetergreſſio in infinito tempore deſcendendo in ſerie generationum, quam aſcendendo; utraque enim temporis infinitate comprehenditur (*a*).

VI. Eſſe inſuper praeſtantem aliquam, aeternamque, naturam, eamque ſuſpiciendam, adorandamque, pulcritudo Mundi, ordoque coeleſtium rerum fateri cogit. Quid enim poteſt eſſe tàm apertum, tamque perſpicuum cum coelum ſuſpicimus, coeleſtiaque contemplati ſumus, quam aliquod eſſe praeſtantiſſimae mentis Numen, quo haec regantur, & gubernentur (*b*)? Quis namque eſt, qui cùm tàm certos Coeli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tàmque omnia inter ſe connexa, aptaque viderit; neget his ullum ineſſe Deum, eaque caſu fieri dicat, quae quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut ſpheram, ut horas, ut alia permulta non dubitamus quin illa opera ſint rationis: cum autem impetum coeli admirabili celleritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſimè conficentem viciſſitudines anniverſarias, dubitamus quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam, Divinàque ratione? . . . . . Terra quoque univerſa cernatur . . . . . . ſolida, & globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adhuc fontium gelidas perennita-

(*a*) Vidend. hac de re doctiſſimus Gerardus Joannes Voſſius lib. 1. de origine, & progreſſu Idololatriæ cap. 1. verſus finem.

(*b*) Eſt hac de re inſignis Ennii locus apud Tullium lib. 2. de nat. Deor.
Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes . . . . .
Patrem, Divumque, Hominumque, & praeſentem, ac praepotentem Deum.

Digitized by Google

nitates, liquoreſque perlucidos, omnium riparum veſtitus viridiſſimos, Speluncarum concavas latitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque Camporum: Adde etiam reconditas auri, argentique venas; infinitamque vim marmoris. Quae verò & quàm varia genera Beſtiarum, vel Cicurum, vel Ferarum. Qui volucrum lapſus, atque Cantus? At verò quanta Maris eſt pulcritudo? quae ſpecies Univerſi? . . . . Sic undique omni ratione concluditur, mente, conſilioque Divino cuncta in hoc Mundo, ad ſalutem omnium, conſervationemque mirabiliter adminiſtrari, ut author eſt Cicero (*a*) quibus, aliiſque poenè innumerabilibus, quae brevitati ſtudentes praetermittimus, vaferrimas Thomae Obeſii machinationes diſſolvimus, cùm vulgum aſſerit has quas non intelligit res deificare: hac verò ignoratione admirationem gigni, admiratione reverentiam, reverentia timorem, timore religionem.

VII. Artium; Scientiarumque adinventio, ex ſe Mundum hunc, aeternumque non fuiſſe demonſtrant; Novorum ſiquidem ſaeculorum Ortu, novas artes, Scientiaſque oriri conſpicimus, quarum omnium & Authores, & initia noſcantur. Atqui ſi Mundus aeternus eſt, hominis quoque induſtria aeterna ſit, neceſſe eſt; ſolertes igitur, ingenioſique ab aeterno extitere homines, & conſequenter ſolertiae hujus, ingeniique effectiones, artes, ac ſcientiae aeternae; Non aeternae monſtrantur artium, ſcientiarumque omnium effectiones, ſed determinato aevo incoepiſſe, ſuaque incrementa, vel decrementa, progreſſioneſque in dies habere. Viciſſitudines enim, fortuitique caſus, quibus artes, Scientiaeque memorià excidiſſe dicuntur, vel univerſales, vel particulares fuerint neceſſe eſt. Si particulares, quomodò ex iis effectus adeò univerſalis effluxit, ut eorum vi occumberent omnia, atque interirent? cum igitur nulla inter univerſalem hunc effectum, cauſſamque particularem proportio intelligatur, infortunia hujuſmodi univerſalia dicenda ſunt. At praeterquamquod univerſales exundantium aquarum excurſus, quibus ſcien-

(*a*) Cicero lib. 2. de Natura Deor.

Digitized by Google

ſcientiarum, artiumque interitus, Athei adſcribere conſueverunt, ſecundùm naturae vires, atque Idroſtaticae leges impoſſibiles demonſtrantur, nihilominus etiamſi poſſibiles concederentur: Nulli tamen ſanae mentis homini ſuadebitur illud eſſe eventu probabile, quod per aeterna ſaecula non eveniſſe depraehenditur; aut enim calamitates hujuſmodi totum humanum genus interemerunt, aut penè totum? Non primum, ut fatentur Athei. Secundum ergò. Si ſecundum quaeritur qua ratione, qua vi non totum? quis tot tantiſque malis limites fixerit; ne ultra terminos hujuſmodi vagarentur, ſicque interirent omnia? Rurſumque ſi hoc ſecundum: Non penitus igitur artium, ſcientiarumque memoriae occidere debuerunt; incredibile omninò cum ſit in eorum numero qui mortem, cladeſque exundationibus, ac calamitatibus hiſce invectas evaſere, admodum ingenii hebetes extitiſſe omnes, ut nihil omninò artium, ſcientiarumque, quas ab ſuis majoribus hauſerant, una cum liberorum propagatione, ſicut omnes duce natura vehimur poſteritati non reliquiſſe, nihil veſtigii, aut volae liberis artium, ſcientiarumque tradidiſſe.

VIII. Neque verò haec argumenta, rationeſque, vel minimum infirmant difficultates, quas contra proferunt Athei, cujuſmodi ſunt, primò: ex nihilo nihil effici poſſe, contra quam tamen ex nihilo inclamat effectio mundi: Secundo omnes naturae leges eò nos vehunt, ut entia ſine neceſſitate non multiplicentur, cùm nullus igitur mortalium uſquemodò tam excellens logicus extiterit, qui hypòteſim qua mundi aeternitas conſtituitur, *in terminis* repugnantem oſtenderit, ut inde inferret ab aliqua efficienti Cauſſa productum, quae Deus dicatur; potuit, ſiquidem inquiunt, mundus à ſe aeternus eſſe, illud jure concluditur nondum potuiſſe hujus ſupremi Entis neceſſitas demonſtrari. Si non neceſſarium hujuſmodi ens? non igitur admittendum. Tertio: ab perfectiſſima omnium Cauſſa, qualem Deum dicunt mundus iſte eſſe non poteſt. Quomodo enim inquiunt à Deo eſſe poteſt mundus, cujus innumerae partes non ſuperfluae modò ſint, ſed & maximè noxiae. Cum igitur ad haec turpiſſima Divinam Sapientiam deici quam maximè indecorum ſit, dedeceat quo-

Digitized by Google

que neceſſe eſt Deum mundi hujus opificem dici. At nihil ſanè verendum quam ne nimis diligenter inquiramus in ea, quae ab hiſce hominibus iſto modo memoriae ſunt ineptiſſimè prodita; multa enim ab ipſis quaeruntur, non ut veritatem ſuo lumine collocent, ſed ut veritati ipſi invidiam creent, atque tenebras offundant. Difficultatibus igitur iis, quas protulimus aliiſque id generis, quas forte proferre poſſent ſic reſpondemus. Primam in his ſolum quae naturae viribus fiunt locum habere conſpicimus, cum nullus uſquemodo ſapientum virorum extiterit, qui hoc axiomate: Ex nihilo nihil, fit Divinam Omnipotentiae vim certis limitibus coercendam duxerit. Secundum Argumentum praeter manifeſtam, ut ajunt principii petitionem, pleraque, & quidem graviſſima abſurda continet, hoc enim modo procedit Argumentatio. Mundus potuit eſſe ab aeterno à ſe; ergo non dependet à Deo, qua conſecutione nihil ineptius. Vel enim in ſola mundi poſſibilitate ſiſtimus, & ſic abſurdiſſima errata complectitur conſecutio, probaret ſiquidem ex gratia: Poſſibile eſt ex fortuito Athomorum Concurſu Anglicum Orologium affabre elaboratum poſſe coaleſcere: coaleſcit ergo. Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet ſi innumerabiles unius, & viginti formae litterarum vel aureae, vel quales libet, aliquo conjiciantur poſſe ex his in terram excuſſis Annales effici Ennii, ut deinceps legi poſſint: quod neſcio an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna. Poſſibile eſt animantia rationis uſu Carentia variis modis effari, atque omne illud quod maxime proprium eſt optimae, praeſtantiſſimaeque naturae ſuis motibus conficere; effantur, & conficiunt ergo. Mitto coetera quae indigna ſunt ut referantur: Cum ex eo, vel ſolum axiomate confutentur, quo dicitur. Ab potentia ad actum non valet conſequutio. Adde huc quod Atheorum argumentatio principium petit manifeſtiſſimè; cum enim arguunt: Mundus poſſibilis ab aeterno fuit, ergo fuit ab aeterno: hunc ſenſum reddunt. Mundus fuit ab aeterno: fuit igitur ab aeterno: equipollent ſiquidem, & Synonima, ſunt in Atheorum hypoteſi de mundi aeternitate propoſitiones. Mundus fuit poſſibilis ab aeterno: AEternus

igitur.

Digitized by Google

igitur . Impoſſibile namque eſt diſtingui, ſecernique aeternam mundi poſſibilitatem ab aeterna mundi exiſtentia . Haec igitur cum ità ſint reddent eum, quem explicuimus ſenſum. Mundus fuit ab aeterno , ergo fuit ab aeterno , quae conſequutio ad ſummam impudentiam uſque ineptiſſima eſt, atque ſtultiſſima . Oppoſita vero noſtra argumentatio jure concludit . Mundus non potuit eſſe ab aeterno: non fuit igitur aeternus, ex repugnantia ſiquidem potentiae jure repugnantia actus infertur . Adde , quod quemadmodum haec noſtra conſequutio valere dicitur quia antecedens ex ſuperioribus à nobis demonſtratum ſupponitur, ità Atheiſtarum nihil uſpiam , niſipriùs antecedente demonſtrato concludet, quo dicitur · Mundus potuit eſſe ab aeterno, quod cum nuſquam uſquemodo confecerint validis , firmiſque rationibus corruat neceſſe eſt eorum Paralogiſmus . De tertio dicam breviter : Cum namque neque Atheiſtae , neque mortalium ullus poſſit vel de alicujus animalculi ſtructura, ac membrorum compage, coeteriſque proprietatibus, eſſentiaque pleniſſime dijudicare , mirum eſt quomodo de his judicare velint Athei; quorum vel nullam omninò, vel exiguam admodum cognitionem habent. Illa igitur, quae vel turpiſſima , vel abjectiſſima , & contemptibilia dicuntur , mirificè ad mundi hujus ornatum, decoremque conducunt, ſi ea non in ſe tantum, ſed ut cum univerſo comparantur , metiri velimus; proindeque neque ſuis carent utilitatibus , neque Divinam virtutem ſapientiam, ac bonitatem dedecent.

IX. Ab hiſce verò minimè nos removere debet quod mala pleraque ſuccedentium ſibi temporum curſibus, ſive hominum malitia, ſive eventibus , fortuitiſque caſibus contingere perſpiciantur. Cum enim Deum omnium eſſe cauſſam definivimus ſemper ea ipſum confeciſſe intelligendus eſt, quae verè ſubſiſtunt inquit Ugo Grotius (*a*) nihil enim prohibet, quominus ipſa, quae ſubſiſtunt, deinde cauſſae ſint accidentium quorumdam, cujuſmodi actiones habentur . Deus hominem, menteſque ſublimiores homine effecit cum agen-

(*a*) Lib. 1. de vera relig. n. 8.

di libertate, quae agendi, ſeſeque ciendi libertas non modo vitioſa non ſit, ſed praeſtantiſſimae, optimaeque conſtitutae naturae proprietas, quae ſuapte vi & ſi in aliquid vitioſum converti poſſit, vitioſa tamen, & turpis minimè dicitur, adeò ut hujus generis mali, quae ab ipſa proficiſci ſaepenumero poſſunt, Deum authorem habere omninò impoſſibile ſit. Caetera quoque mala, quae poenae dicuntur, cum vel ad Emendationem hominis, vel ad ipſius profectum in virtute, juſtamque criminum punitionem ordinentur, nihil vetat quinimò quam maximè decet à Deo exoriri ſicut à bono medico ingratum ſapori Pharmacum.

X. Inter argumenta potiſſima, quibus unius Dei exiſtentia monſtratur, prophetiae donum, ac miracula caetera continentur. Si enim in mundo, vel unum dumtaxat miraculum ab hoc ſupremo omnium numine, quod Deum dicimus effectum fuiſſe probatur, corruit penitùs Atheiſtarum hypoteſis. Si namque vel unus dumtaxat homo ex mortuis ad vitam revocatus eſt, cum ab nulla naturae vi proficiſci potuerit hujuſmodi ſuſcitatio, ab ſuperiori Cauſſa prodierit neceſſe eſt; vitam enim mortuis Cadaveribus reſtituere tam difficile eſt, quam ejuſdemmet vitae ſpiraculum, lapidibus, caeteriſque vita, ſenſuque carentibus infundere, atque inhalare. Tantam porrò naturæ vim ineſſe, ut lapidibus vitam conferat, caeteriſque ſenſu, ſpirituque carentibus, nullum Atheiſtarum Arbitror defenſurum. Moſis porrò miraculorum, & Joſue ne opus quidem eſt teſtimonia referre; cum cuique prudenti credibile minimè videri debeat Moyſem, & Joſue, qui non Egyptios tantum hoſtes habuit, ſed & plurimas alias gentes Idumaeos, Arabas, Phenicas, de Dei exiſtentia, deque ſui temporis rebus, ea praedicaſſe quae vel ſuperiorum memoria falſitatis revinci facilè poſſent, aut pugnantem ſibi haberent perſuaſionem veterem, atque communem, aut quae viventium tunc temporis hominum ferè omnium teſtimoniis refellerentur. Et tamen Moſis, ac miraculorum, quae per ipſum operatus eſt Deus meminerunt Diodorus Siculus (a) Stra-

(a) Diodorus Siculus lib. 1. ſuae Bibliothecae.

Strabo (*a*) Plinius (*b*) Cornelius Tacitus (*c*) & poſt eos Dioniſius Longinus (*d*) nec non ex Trogo Pompeo Juſtinus (*e*) Sequentium vero temporum miracula út Eliae (*f*), Eliſaei, ac reliquorum minus conficta videri debent, quod & innotuerit tunc magis Judaeorum gens, & ob Religionis diverſitatem vicinis Populis odioſa maximè redderetur; quorum plurimum interfuiſſet calumniam detegere, ac in Judeorum contemptum mendacia hujuſmodi propalare. Jonae (*g*) quoque hiſtoria, qua ejus in ventre coeti trium dierum, noctiumque permanſio deſcribitur, eſt apud Lycophronem, & Eneam Hazoum, niſi quod adnotante Ugone Grotio Jonae ſuppoſitum nomen Erculis invenitur, cui ſemper ſplendidiſſima quaeque ac magnifica tribuere veteres ſolitos notavit Tacitus (*h*) Unde, & Julianus (*i*) Judeorum non minùs quam Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus hiſtoriarum evidentia fateri coactus eſt viros Divino Spiritu refertos inter Judeos fuiſſe Moyſem, & Eliam, ad quorum Sacrificia comburenda ingenti Miraculo ignis e Coelo delaberetur. Futurarum quoque rerum praedictio Dei exiſtentiam mirum in modum demonſtrat; intueri enim, atque conſpicere ea quae non modo ſunt, ac fuerunt, verum etiam ea quae futura ſunt omnino Divinum puto, cum ad futura, hominum mentes caecutiant, ut habet vulgatum Pindari axioma; hinc futurarum rerum praedictio ab Latinis Divinatio dicitur, & Iſaias Propheta enuntiate inquit quae ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos. Harum verum praedictionum plurimae ſunt, & apertiſſimae apud Judeos, ut de orbitate ejus, qui Hiericuntem

(*a*) Strabo lib. 16. ſuae Geographiae.
(*b*) Plinius libro 33. cap. 1.
(*c*) Tacitus libro Hiſtoriarum 5.
(*d*) Dyonifius Longinus de ſublimi dicendi genere.
(*e*) Ex Trogo Pompeo Juſtinus libro 36. cap. 2.
(*f*) De Eliae, & Eliſaei Prophetia ſcriptum ab Eupolemo librum refert Euſebius lib. 9. praeparat. Evangelicae cap. 30.
(*g*) Apud Tzetzem, & Eneam Gazenſem.
(*h*) Tacitus ubi de Ercule. Tacito conſentiunt Servius, & Varo.
(*i*) Julianus lib. 3. apud Cyrillum.

Digitized by Google

tem (*a*) excitaret: de templo Belis diruendo per (*b*) Joſiam Regem trecentis, & amplius annis priuſquam res eveniret. In Iſaiae (*c*) quoque libro Cyri nomen, atque imperium ducentis annis antequam orirentur, commemorantur praedicta. Caldaici rurſum Imperii ruinam, atque interitum: potentiam vero Medorum, Perſarum, Graecorum, & Romanorum, odia, ac pericula quae ab Lagidis, & Seleucidis praecipuè vero ab Antioco illuſtri paſſuri erat Judei, proſecutus eſt Daniel (*d*) tàm Divino, atque illuſtri vaticinio, ut Porphirius (*e*) ab his nullam ſe expediendi viam inire potuerit, quam, ut aſſereret, ea quae Danieli tribuuntur poſt eventum fuiſſe conſcripta.

XI. Demonſtrata Dei exiſtentia, neceſſariò admittenda eſt vera rèligio, qua in hoc mundo Deus iſte colatur, cujus perſuaſio non humanae ſit rationis inventio, ſed Dei ipſius, naturaeque inſtitutio. In omnium ſiquidem animis ab natura ipſa Dei notio, profecta continetur. Quae eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Dei, ac Religionis? De quo autem omnium natura conſentit id verum eſſe neceſſe eſt. Hanc verò quam nobis natura de Deo & Religione informationem dedit; profundiſſima inveſtigatione meditatur Tertullianus (*f*), atque ex eodem Cyprianus (*g*) cujus meditationis ſpecimen aliquod exhibent quae ſequuntur. *Novum teſtimonium*, inquit, *advoco, imò omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine majus, ideſt totum quod eſt hominis....... Te ſimplicem, & rudem, & indoctam animam, & idioticam compello, qualem habent qui te ſolam habent, illam ipſam de compito, de trivio, de textrino. Imperitia tua mibi opus eſt, quoniam aliquantulae peritiae tuae*

(*a*) Conferenda ſunt ſimul cap. 6. Joſue, & cap. 16. lib. 1. Regum v. 4.
(*b*) Joſephus lib. 10. Judaicarum Antiquitatum cap. 5. & l. 3. Regum cap. 13. v. 2.
(*c*) Iſaiae cap. 37. & 38. 39. & 52. Hujus Prephetiae, ejuſque complementi teſtimonium vide apud Euſebium lib. 9. praeparat. Evangelicae cap. 39.
(*d*) Daniel. cap. 11. v. 32., & 39. ae per totam ferme Prophetiam.
(*e*) Porphirius apud S. Hieronymum in Danielem.
(*f*) Tertullianus lib. de Anima.
(*g*) Cyprianus lib. de Idolor. vanit.

Digitized by Google

tuae nemo credit. Dic teſtimonium palàm: nàm te quoque Domi, & foris audimus palàm: quod Deus dederit, ſi Deus voluerit. De natura quoque Dei, quam praedicamus non te latet. Deus bonus eſt, Deus benefacit ..... benedicat te Deus, Deus videt omnia. Uſque modo Tertullianus. Huc quoque, & illud redit quod cum inevitabili mortis periculo, quod nullo modo evadere poſſumus arctiſſimis anguſtiis premimur, ante omnem mentis deliberationem coelum ſuſpicimus, manuſque, & oculos ad ſydera tollimus, Superius aliquod, ac praepotens auxilium, quod Divinum appellant confidentiſſime depoſcentes; quae omnia exercitia cum ſint religionis, Divinique Cultus, religio quaedam exiſtat, oportet. Profundiora multa hac de re videri poterunt apud doctiſs. Patrem Michaelem Elizalde (*a*) ex inclita Societate Jeſu ſcriptorem.

XII. Certiſſima habemus quoque media ſeù, ut ajunt, Criteria, ad veram Religionem hanc inveniendam. Quibus Academicorum, & Scepticorum aberrationes meritò caſtigantur, & confutantur. Horum Criteriorum primum illud eſt: Omnes religiones inter ſe contrarias, pugnanteſque ſimul veras eſſe non poſſe. Contradictoriarum ſiquidem ea natura eſt, atque conditio, ut verae ſimul eſſe non poſſint.

XIII. Secundum Criterium, & quidem potiſſimum hac regula continetur: non omnium rerum quaerendam, vel petendam ſemper dimonſtrationem, ac probationem; ſed in probando ad aliqua tandem deveniendum eſſe, quae ut ſuapte natura indemonſtrabilia admittantur; in his ſiquidem, de quibus judicat homo ſine arte, ſine induſtria, ſine inveſtigatione, ſed ſolo naturae ſenſu, in his non errat, neque ut ab errore arceatur, aut probationibus, aut demonſtrationibus indiget. Quaenam verò ſint, de quibus hoc modo judicat homo, omnium Sapientum conſenſione reſpondemus, ea eſſe prima, & univerſaliſſima principia, quaeque & lumine naturae nota dicuntur, atque in his hominem non erra-

(*a*) P. Michael de Elizalde lib. de forma ver. relig. queren., & invenien. quaeſt. 1, §. 4. &c.

Digitized by Google

errare. Error enim eſt humanae mentis falſa de aliqua re conceptio, quae ſine diſcurſu eſſe non poteſt: eſt porrò diſcurſu, ac inveſtigatione qualibet prior natura; non eſt igitur in primis naturae principiis errori ſubjecta natura. Quapropter meritò haec prima principia in illud tanquam omninò primum reſolvuntur, videlicet quod natura, à quà immediate profluunt, & Deus à quo immediatè eſt ipſa natura neque fallere, neque falli poſſunt.

XIV. Ex hiſce illud aliud Criterium ſpontè fluit. Si pro omnium naturalium Diſciplinarum generibus Deus prima quaedam principia indidit, quibus earumdem diſciplinarum veritates pleraeque invenirentur, multo potiori jure tribuenda fuerunt, hominum generi, prima quaedam Religionis principia; haec enim ea diſciplina eſt, qua ipſe adoratur, & colitur.

XV. Habitis primis hiſce principiis verae religionis inveniendae, reperiundaeque: inviƈtè concluditur. Invenibilis eſt igitur vera religio. Haec verò inveniri non poteſt ſolo naturalis diſcurſus lumine, neque quarumcumque naturalium diſciplinarum ope, atque vi inventa per tot ſaecula repe itur. Si igitur inveniri ex una parte poteſt, ex alia verò ſolis naturae viribus nuſquam reperitur inventa, & conſequenter nec invenibilis: admittendum erit aliud rurſus principium, quo certo, & infallibiliter haec vera religio inveniatur. Hoc autem nullum aliud eſſe poteſt praeter revelationem Divinam; ad inveniendam igitur reperiundamque veram religionem neceſſaria eſt revelatio Divina, quod totum inviƈtis iis rationibus nititur, quas ſaepenumerò repetit S. Thomas (a). Primo videlicet quià homo ordinatur ad Deum ſicut ad quemdam finem, qui comprehenſionem rationis excedit, ſecundum illud Iſaiae 64. Oculus non vidit, Deus abſque te, quae praeparaſti diligentibus te; finem autem oportet eſſe praecognitum hominibus, qui ſuas intentiones, & aƈtiones debent ordinare in finem, unde fuit neceſſarium homini ad ſalu-

(a) S. Th. 1. part. quaeſt. 1. art. 1. & 2. 2. quaeſt. 2. art. 3. & 4. & 1. contra gent. cap. 4. & 6. & quaeſt. 14. de verit. art. 11.

Digitized by Google

ſalutem quod ei nota fierent quaedam per revelationem Divinam, . . . quae rationem humanam excedunt. Secundo quia veritas de Deo per rationem inveſtigata à paucis, & per longum tempus & cum admixtione multorum errorum homini proveniret, ut igitur ſalus hominibus, & convenientius, & certius proveniat, neceſſarium fuit, quod de Divinis per Divinam revelationem inſtruerentur (*a*).

XVI. Revelatio haec quam ad veram religionem dicimus neceſſariam in nulla ex iis Religionibus in quas totus Orbis diſtrahitur, inveniri poteſt praeterquam in ſola Chriſtiana. Quod ex praecipuarum Religionum natura facile perſpici poteſt. Et primo quidem ex natura Religionis Idololatricae, quae innumerabilibus penè argumentis vaniſſima demonſtratur, & cum ipſo rationis lumine quam maximè pugnans. Hinc meritò factum eſt, ut veterum ſapientum conſuetudo Deum potiùs, quam Deos diceret, cum ſerium aliquod promeretur. Cum jurant, inquit Lactantius (*b*), & cum optant, & cum gratias agunt non Jovem, aùt Deos multos ſed Deum nominant; adeò ipſa veritas cogente natura ab invictis peccatoribus erumpit. Lactantio conſentiunt Seneca (*c*), Maximus (*d*) in Epiſt. ad Auguſt., & Macrobius (*e*) in Somnium Scipionis. Onati quoque Pittagorici in Stobaei Eclogis extat celebre teſtimonium, cui favent, & Nicomachi Geraſeni apud Fotium, & Platonis in Epiſtola ad Hermeam, & Coriſcum loca, quo verò pacto naturae lumine unum eſſe Deum cognoſcamus Lactantius oſtendit (*f*), nec non SS. Patrum plerique cum adverſus Polytheos dimicare inveniuntur. Sed acutius Scolaſtici, inquit Gerardus Voſſius, atque in his Thomas Aquinas, quem vide contra gent. differentem lib. 1. cap. 2. ſupra 40., & quae ibidem adnotavit Ferarien-

C

(*a*) Vidend. hac de re doctiſſimae Animadverſiones Gerardi Voſſii lib. 1. de origine, & progreſſu Idolatriae cap. 4.
(*b*) Lactantius lib. 11. cap. 11.
(*c*) Seneca lib 4. de Benef. cap. 7.
(*d*) Maximus Epiſt. inter Auguſtinianas lib. olim 34.
(*e*) Lactantius lib. 1. cap. 3.
(*f*) Macrobius lib. 4. cap. 6.

Digitized by Google

rarienſis Franciſcus de Silveſtris (*g*).

XVII. Rationum igitur, quibus Polytheiſmus refellitur, prima ex illo capite accerſitur, quod impoſſibile ſit plures Deos eſſe; *Si enim ſunt Dii multi* inquit Lactantius (*b*) *dum habent ſinguli poteſtatis aliquid, & numinis ſumma ipſa decreſcit: nec poterunt ſinguli habere totum quod eſt commune cum pluribus, unicuique tantum deerit quantum ſinguli poſſidebunt*. Unde & jure concludit Tertulianus (*c*) quod *ſi Deus unus non eſt, nec eſt*. Secunda vero ratio ea eſt, qua probatur Paganorum Deos non eſſe Deos, ſed numina ab hominibus facta. Ut ſiquidem habet inpraeclariſſimo illo quod de vera Religione inſcripſit opere Auguſtinus (*d*) Polythei, aut hominum artefacta, vel manes, vel Demones, vel elementa Mundi, vel denique bruta ipſa colebant, quæ omnia indigna prorſus ſunt ut colantur. Horum Deorum omnium originem, cultuſque, ac progreſſum, Gerardus, Voſſius, & Lylius Gyraldus Ferrarienſis, inter coeteros doctiſſime, vel in ſuis de ortu, & progreſſu Idololatiae, vel de Deorum Genealogia libris, proſequuti ſunt. Tertia ratio ex eo ducitur quod inhoneſta adeo & turpia Dii gentium operati ſunt, ut non divinam naturam modo, ſed & homines, non omnino brutales dedeceant. Quapropter Auguſtinus (*e*) *Deos gentium, ait, innotuiſſe magis per eorum crimina quam per eorum merita*. Cum igitur hiſce, aliiſque abſurdis Polytheorum Religio ſcateat, Divina revelatione, contineri non poteſt.

XVIII. Cum non minora quoque Pantheyſmi, quinimò abſurdiora commenta ſint; hic quoque rejiciendus eſt; *qui enim Mundum iſtum viſibilem ſummum Deum eſſe opinabantur admo-*

(*a*) Voſſius de origine, & progreſſu Idolatriae cap. 2. lib. 1. ubi. Vir verè doctus S. Thomae Aquinatis, Magiſtri ſentent., caeterorumque Schelaſticor. non per contemptum, ut Blaterones, ac Scioli noſtri temporis, ſed honoris cauſſa meminit.

(*b*) Lactantius lib. de Ira. cap. 11.

(*c*) Lib. 1. contra Marcionem cap. 3.

(*d*) Auguſtinus lib. de vera Relig. cap. 55.

(*e*) Lib. 7. de Civitate Dei cap. 27.

Digitized by Google

admonebat apud Auguſtinum (*a*) Socrates, *turpitudinis ſuæ docent eſſe conſequens ut quilibet lapis tanquam ſummi Dei particula coleretur: quod ſi execrarentur, mutarent ſententiam & unum Deum quaererent, quem ſolum ſupra mentes noſtras eſſe & a quo omnem animam & totum iſtum Mundum fabricatum eſſe conſtaret.*

XIX. Maumethi Religio, & ipſa fabuloſa cum ſit, impia, ac ſuperſtitioſa, falſa quoque omnino eſſe debet. Videamus enim quid invenerit Maumethes? aut quae tandem hujus Miſteria? Haec igitur quae Maumethani probant tantis offuſa ſunt tenebris, ut ne ſcintillam quidem rectae rationis ullam, ad verae Religionis lucem adſpiciendam, contuendamque nobis reliquerint; Surà enim prima (*b*) tam apertè perſpicuèque, & perverſa, & falſa ſequtus eſt Alcoranus, ut in cauſſa ſint, me non modo non diffidere ut ei reſpondere poſſim, verum ut me quoque taedere ſaepenumero, pudoreque ſuffundi in horum confutatione quae humanitati infamiae ſunt ſempiternae, aeternaeque ignominiae, perſentiam. Ineptiſſimum illud primum agrediar quod de octoginta mille Mundis a Deo conditis fabulatur. De ſtupenda autem magnitudine horum mundorum, agitur in Libro Septenariorum Doctoris Abdal-Raman Hamdajenſis; Confutationis fabulae hujus ſpecimen aliquod exhibent, vel ſola verba quae Surà prima proëmiali continentur. Hæc autem ſunt: Dixit Said Almoſareb. Deus habet mille Mundos: ſexcentos in Mari, & quadringentos in Terra. Et dixit Aldahak ſunt inter eos trecenti, ac ſexaginta Mundi, quorum incolae diſcalceati ſunt, ac nudi, nec cognoſcunt illum qui creavit eos, Sexaginta autem ipſi veſtibus induuntur. Et dixit Abu Sayd Adrienſis: Deus habet quadraginta millia Mundorum quorum unus eſt hic Mundus ab Oriente ad Occidentem. Et dixit Mocatel filius Soliman. Sunt octoginta millia Mundorum· Quadraginta millia in terra, & quadraginta millia in mari. Si autem vellem explicare hujuſmodi Mundos & quae ſunt in eis, indigerem mille voluminibus

(*a*) Libro de vera Relig. cap. 2.
(*b*) Ex Surà prima proëmiali.

quorum quodlibet mille paginas contineret. Et dixit Kaab Alahbar: nemo poteſt numerare Mundos niſi Deus. Mitto verecundiae & Modeſtiae gratia turpiſſima quae habet Alcoranus Surà 2. cui titulus *Vacca*, & ſequentibus, de Puellis & adoleſcentibus, de Paradiſo, de Hortis, de Fluminibus, & Pomis, de Noe cum Diluvio, de Camela portentoſa, de Loth cum Sodomitis, de Daemonum gratitudine erga Deum, de exorthatione facta Daemonibus a Mahomethe, ut ad Deum ipſum converterentur, de Geniis ſeu Daemonibus qui Audientes lectionem Alcorani a Maometho converſi ſunt ad ſuam Sectam; Quod ſigna Judicii ſint deſtitutio Camelarum, & congregatio ferarum: De Dimiſſione, ac multiplicatione uxorum, effraenique Polygamia, de crudelitate, Violentia, Injuſtitia, Tyranide, atque hujus generis penè innumerabilibus de quibus videndus Meracius (*a*) ad Alcorani confutationem; quaeque & retuliſſe ſolum, pleniſſime confutaſſe, eſt, adeo enim abſurda ſunt, ut ne minimum quidem probabilitatis praeſeferant.

XX. Tota igitur difficultas ad Religionem Judaeorum & Chriſtianorum reducitur. In quarum altera videl. adeo contineatur Revelatio divina; ut ſola veram Religionem conſtituat. Quæ difficultas ut tollatur demonſtretur primum oportet, Religionem Judaeorum olim veram fuiſſe Religionem, & per conſequens iis in libris, qui Canonici vocantur veram extare, & extitiſſe revelationem.

XXI. At quia hujuſmodi revelatio Judaeorum religione contenta umbram ſolum habebat futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem; omnia enim in figura Meſſiae venturi, hoc eſt Chriſti contingebant illis, hac inquam divina revelatione penitùs in Meſſia, ejuſque Evangelica lege completa, ceſſavit umbratilis illa lex, unde & ſola Chriſti Religio, non verò Judaica Divinam continens revelationem, eſt vera Religio.

XXII. Quomodò autem Judaeorum Religio Divinam continens revelationem deſiiſſe probetur, ab ea pendet demon-

(*a*) Meracius in Prodromo ad Alcorani confutationem.

Digitized by Google

monſtratione qua Meſſias oſtenditur adveniſſe. Judaei ſiquidem omnes fatentur tunc legem Moſaicam deſituram cum Meſſias advenerit, ob rationem eam, quam ſupra tetigimus quia videlicet lex Moyſis umbra, & figura eſt, & Evengelicae legis, & futuri Meſſiae. Ut ergo haſce omnes revelationes adimpletas eſſe monſtremus, atque inde Moſaica Religio oſtendatur ceſſaſſe, demonſtretur primum neceſſe eſt veniſſe Meſſiam.

XXIII. Haec veritas ex Jacobi vaticinio primum evincitur, quod ſic habet: Non auferetur Sceptrum de Juda & Dux de foemore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium; Vel ut ex variis verſionibus vertit Gotofridus Valandius (a): Non abſedet imperium à Juda, & Praetor, vel Magiſtratus è medio Civium ejus donec venerit Conditor Pacis, & ejus imperium univerſale. Authoritatum enim Sacrarum è veteri foedere vix ulla Chriſtum luculentius exſerto velut digito deſignat, eum Jeſum Nazarenum eſſe demonſtrans, atque inde & Chriſtianorum fidem ſolidius firmat, validiuſque Judeorum pervicaciam confutat: Qua de re videndi Raymundus Martini, Galatinus, Paulus Altingius, aliique.

XXIV. Huc redit vaticinium Danielis de Septuaginta Ebdomadibus, quod ſic habet: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo...., Septuaginta Ebdomades abbreviatae ſunt ſuper Populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſumetur praevaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & Animadverte ab exitu ſermonis, ut iterum edificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem, Ebdomades ſeptem, & Ebdomades ſexagintà duae erunt, & rurſus edificabitur Platea, & muri in Anguſtia temporum. Et poſt Ebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus Po-

(a) Gotofridus Valandius in ſua Peculiari diſert. ad cap. 49. Geneſ. tom. 1. Theſauri diſſert. elegant: ad Selectiora, & illuſtr. veteris, & novi Teſt. loca: Ultrajecti 1607.

Populus qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & Sanctuarium diſſipabit Populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas: & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis Ebdomada una: & in dimidio Ebdomadis deficiet Oſtia, & Sacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſumationem, & finem perſeverabit deſolatio. Quamvis porrò in hoc explicando oraculo maximè inter ſe diſſideant, cùm Hebraeorum, tum Chriſtianorum interpretes ob profundiſſimam obſcuritatem, qua tenebris veluti circumfuſis offunditur, ejus tamen complementi veritas hoc nomine haud quaquam periclitatur; ut enim obſervavit Rabi Aben Ezra (*a*) Et ſi explicatio Septuaginta Septimanarum illarum, longe difficillima eſt, atque inſuper ut addidit Rabi Luſitanus in coloquio Mittelburgenſi temerarium ſit Danielem interpretari, nihil tamen impedit, quin in Chriſto pleniſſime completum inveniatur; obſervat ſiquidem Johannes Friſchmutius (*b*) quod quamvis in Cronologicis quaedam planè dubia, vel inexplicabilia, & intellectu difficillima occurrant ob monumentorum Perſicorum defectum, unde annorum qui hic memorantur, Calculus praeciſè inchoandus, & per quorum aetatem, atque imperia deducendus ſit coſtare poſſit; Adeoque magna adhuc contentione de graviſſima quaeſtione illa initio nempe medio, & fine ſeptimanarum digladientur, Cronologi, & Interpretes: Complementi tamen veritas eo nomine ut diximus haud quaquam periclitatur. Neque enim indubium ullo praetextu vocari ſenſus verborum poteſt, cùm ad fidem hujus Oraculi exactiſſima certitudo Cronologiae, neceſſaria non ſit. Unde à quocunque tandem reſtaurandae Urbis, aut templi edicto, numerandi exordium ſumpſeris, ſive Cyri, ſive Darii, ſive Arthaxerſis, ſeptuaginta illae Septimanae, multis retro ſaeculis elapſae deprehenduntur.

XXV. Illud alterum eſt ſimili huic, quod habet vaticinium,

(*a*) Rabi Aben Ezra Comen. in cap. 9. Danielis.
(*b*) Jo. Friſchmuti in ſua peculiari differt. de Vatacinio Danielis cap. 9. §. 1.

Digitized by Google

nium, Ageus (a) de futuro Meſſia, verbis quae ſequuntur: Haec dicit Dominus Exercituum adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Coelum, & Terram, & Mare, & Aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloriâ dicit Dominus Exercituum . . . . . . Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimae pluſquam primae dicit Dominus. Hujus vaticinii interpretationes varias, quas non modo Rabini, ut Rabi Salomoh, & Rabi David, Kimchi, atque interpretes nonnulli, ut Junius, & Tremelius excogitarunt, hic non morantes ſolum illam, quam conatu omni invehere ſtudet Rabi Abarbanel (b) de tertii Templi, non verò de ſecundi gloria, tantò magis repraehendimus, quantò eſt Judaeis recentioribus acceptior.

XXVI. Mitto coetera, quae de Chriſto praeclariſſima ſunt Prophetarum oracula, & pro hujuſce demonſtrationis Coronide, de Adventu Meſſiæ teſtimonium illud Joſephi (c) profero, quod habet in ſuis Antiquitatibus. Eo tempore inquit, nempe Johannis Baptiſtae, fuit Jeſus vir Sapiens, ſi tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium Operum Patrator, & Doctor hominum eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimis quoque tàm de Judaeis, quàm de Gentibus ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus. Cum invidia noſtrorum Principum Cruci eum Pilatus addixerit, nihilominùs qui primum dilexerunt, perſeverarunt; Apparuit enim eis tertia die vivens. Multa haec, & alia mirabilia Carminibus Prophetarum de illo vaticinantibus narrantur, & uſque hodie Chriſtianorum gens ab ipſo ſortita vocabulum non defecit. Quamvis verò maximis in diſceptationibus inter ſe verſari Criticos circà hunc locum animadverterim, nullus tamen diffiteor teſtimonium hoc Joſephi verè genuinum eſſe. Pro genuino ſiquidem habendum haec omnino ſuadent:

1. ejus

(a) Agaeus 2. verſ. 7.
(b) Abarbanel in Libello Maſchmiach Jeſchuah. Hac de re videndi Friſcmutius in peculiari diſert. de gloria Templi Secundi, Boccius in diſert de tertio templo à Rabinis confićto.
(c) Joſephus lib. 18. Judaicarum antiquit.

Digitized by Google

1. ejus Commemoratio apud Euſebium, Hieronymum, Ruphinum, Iſidorum Peluſiotam, Sozomènum, Freculphum, Suydam, Tritemium, Galatinum, Junium, Uſſerium, Voſſios; Spanhemium, Baronium: Tillemontium, Natalem Alexandrum, alioſque penè innumerabiles: 2. Fraudis Jam pridem nulla criminatio: 3. ex Codicum omnium Joſephi ſive calamo exaratorum, ſive Typis impreſſorum, perpetuò, conſtantique in eo retinendô conſenſu: 4. Joſephi candor, fides, & cura in tradenda hujus temporis hiſtoria: 5. quod memorentur Chriſto inferiores Johannes Baptiſta, & Jacobus; atque de hoc ultimo ſcripſerit fratrem fuiſſe Jeſu, qui Meſſias dictus eſt, quem & conſequenter, ut multo notiorem, illuſtrioremqae cognoverat: 6. Locus admodum appoſitus, de Jeſu ſcribendi aliquid cùm de Pilato ageret: 7. Orationis textura, idem dictionis color, talis videlicet, qualis Helleniſtae Joſephi eſſe ſolet, nulla in contextu lacuna, vel partium julca diſſonantia, ut accuratiſſimi viri Spanhemius (*a*), & Paggius (*b*) ſuis animadverſionibus obſervarunt. Ex quibus omnibus cùm abundè ſatis demonſtratum ſit veniſſe Meſſiam, omnemque Divinam revelationem in ipſo completam eſſe: Conſequutio illa ſua ſponte fluit religionem Judaicam non ampliùs eſſe veram Religionem.

XXVII. Jure igitur tandem nos deduxit Oratio ad Religionem hanc, quae à Chriſto Domino nomen ſortita uſque in mundi finem eſt perſeveratura. Antequàm verò de ipſâ inſtitutio quaequnque tradatur primò ſanciendum eſt, ipſum non modo fuiſſe, ut diximus, verum Meſſiam, ſed verum inſuper Deum, & verum hominem.

XXVIII. Atque hoc veluti fundamento jacto veritas Religionis Chriſtianae primò apparet ex Authoris praeſtantia: ſecundò ex Sanctitate doctrinae: tertiò ex admirabili hujus propagatione: quartò ex miraculorum quibus confirmata eſt patratione: quintò ex cumulatiſſima omnium ſupernorum Chariſmatum copia, quibus illuſtrata fuit, & illuſtratur in dies.

(*a*) Spanhemius Frideric. tom. 1. introduct. ad Hiſt.
(*b*) Paggius ad Annum Chriſti 34.

dies, ut dono Prophetiae, Sanitatum curatione, interpretatione ſermonum, in Daemones imperio, aliiſque id generis bene multis. Cùm igitur prima veritas cujuſmodi Deus eſt non poſſit in teſtimonium, atque adprobationem falſae Religionis haec admirabilia operari, Chriſtiana Religio vera ſit omninò neceſſe eſt.

XXIX. Quamvis Religionis Chriſtianae doctrina, & veriſſima, & Divina monſtrata ſit, cum tamen ab pleriſque dubitetur de libris, quibus contineri dicitur, haec quoque addubitatio, quae profectò graviſſima eſt, tollatur oportet; quamvis enim probata Religionis Chriſtianae veritate, probatum quoque maneat libros, ex quibus deprompta eſt indubiae, ac divinae authoritatis praerogativa gaudere, ita ut ei, qui de hujus Religionis & doctrinae authoritate convictus eſt, nullum poſſit ſubeſſe dubium de authoritate eorum, librorum, quibus haec doctrina continetur; Nihilominus adhuc ſupereſt demonſtrandum, quinam apud nos ſint iſti libri, in quibus hujuſmodi infallibilis Divinae Religionis veritas reperitur. Quae quidem conſideratio partitione indiget; Cùm enim hujus Religionis Doctrina in Divinis libris partim contineatur in figura, partim verò manifeſtata jàm veritate, figuris, umbriſque ceſſantibus; prima conſideratio eſſe debet de veteris teſtamenti libris, quibus Religio Chriſtiana figurata conſpicitur; Secunda verò de novi foederis voluminibus, in quibus doctrina ab ipſo Chriſto Domino legitur promulgata. Atque rurſum cum non omnes, ſive veteris, ſive novi Teſtamenti libri eadem excellant authoritate, eorum erit tripartita conſideratio. In prima de iis agitur, de quibus nuſquam eſt ab noſtratibus Catholicis dubitatum, in ſecunda de iis, qui & ſi Divinam revelationem contineant, non tamen fuit ſemper aeque certa, & explorata eorum authoritas: In tertia, de iis, qui quamquam à nonnullis doctiſſimis viris quandoque in Sacrorum librorum numero ſunt habiti, nuſquam tamen Eccleſiae totius judicio in Sacrorum eorumdem Librorum Canone ſunt recepti.

XXX. Hac partitione cum Belarmino (a) ſic conſtituta; in

(a) Belarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 4.

in primo Librorum ordine collocantur. Pentatheucus, liber Joſue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, Paralipomenon duo, Eſdrae, & Nehemiae duo, Job, Pſalterium, liber Pſalmorum centum quinquaginta, Proverbia, Eccleſiaſtes, cantica canticorum, Prophetae majores quatuor, minores duodecim, Evangeliornm libri quatuor, Epiſtolae Pauli treſdecim, Epiſtolae Canonicae duae, una videlicet Petri, Johannis altera.

XXXI. Secunda Claſſis hos continet: Heſther, Baruch, Danielis partem; Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Macchabeorum primum, & ſecundum, Marci, & Lucae partes quaſdam, Epiſtolam ad Haebreos, Epiſtolam Jacobi, ſecundam Petri, particulam Epiſtolae primae Johannis; Epiſtolam Judae, ſecundam & tertiam Joannis, una cùm ejus Apocalypſi.

XXXII. Tertio loco, ea opera recenſentur, quorum meminiſſe inveniuntur Innocentius primus in Epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, Gelaſius in Concilio Romano, Athanaſius in Synopſi, aliique nonnulli ex veteribus, ex quibus tamen omnibus operibus haec ſolum videntur extare. Oratio Manaſſis, libri tertius, & quartus Eſdrae, tertius, & quartus Macchabeorum, Pſalmus 151. Appendix ad lib. Job; liber Hermetis, qui inſcribitur Paſtor.

XXXIII. Peculiares omnes difficultates proſequi, quae circa libros hoſce paſſim occurrunt, quia longum nimis foret eas ad potiora capita reducemus, quorum primum, libros veteris Teſtamenti ſpectabit. Eſſe igitur hos libros eorum Scriptorum à quibus exarati dicuntur eadem ratione, eodemque jure defendimus, quo id de noſtris omnino probamus. Hi autem quorum praeferunt nomina, aut Prophetae fuerunt aut viri omnium graviſſimi, quorum fidem ſi quis nutare velit, corruat neceſſe eſt humana ſocietas, quae graviſſimorum virorum probitati, atque integritati quam maximè nititur. Neque vero de Moſe repetam, quae commemoravi ſuperius. Solum hic redarguentur, quae contra profert Spinoza in ſuo tractatu Theologico Politico, quaeque caeteri paſſim noſtrae aetatis increduli objiciunt non eſſe videlicet quinque Pentatheuci

theuci libros à Moyſe conſcriptos. Poſt diuturnam enim ultra trium millium annorum poſſeſſionem nemo in Moſem litigator admittitur niſi juris ſui non dubia tantum, & ambigua, ſed evidentia planè, & perſpicua documenta protulerit. Nec aliud quam apertae veritatis vis contra vetuſtum, adeò Moſis jus, cui Chriſti, Apoſtolorum, Sanctorum Patrum, & univerſae Eccleſiae conſenſus ſuffragatur unquam praevalebit. Eſt igitur Pentatheucus verè à Moyſe conſcriptus, atque in ipſo extant Oracula Chriſti praenuntia.

XXXIV. Hiſce maxima affinitate ea veritas jungitur, qua Moſaici libri ut ſcriptura Divina defenduntur. Moyſes inſuper omnium gentium Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis, quorum monumentum aliquod vel ſcriptorum, vel veterum memoria ſuperſit, antiquior habetur; ejus ſiquidem tempore Cecrops AEgyptius Saytarum Colonia in Atticam traducta, ut Author eſt Diodorus (*a*) Siculus Regnum Athenienſium fundavit. Ab Cecropis temporibus Graecorum antiquitates deducit Cronographus Parius à doctiſſimo Seldeno inter Arundeliana Marmora editus, utpote poſt quem & parem illi aetate Moyſem, quae apud Graecos mirabilia narrantur, contigerunt, Deuchalionis diluvium, Phaetontis incendium, Ortus Erictonii, Proſerpinae raptus, Cereris Myſteria, Eleuſinorum inſtitutio, Triptholemi Agricultura, Europae ab Jove raptus, Apollinis nativitas, Cadmi ad Thebanos Adventus, atque iis Juniores Baccus, Minos, Perſeus, AEſculapius, Dioſcuri, Hercules, ſicut eſt a doctiſſimo Jacobo (*b*) Uſſerio ex Euſebii praeparatione Evangelica obſervatum. (*c*)

XXXV. Prophetae rurſum Philoſophis omnibus aetate Superiores inveniuntur, atque ex Moyſis, caeterorumque Divinorum Librorum fontibus Doctrinae ſuae partem non modicam hauſiſſe (*d*). Quae quidem omnia mirum eſt quantum

 ſplen-

(*a*) Diodorus Siculus lib. 1. ſuae Bibliothecae ante primam Olimpiadem anni 780., ut ex Caſtore habet in ſuo Cronico Euſebius.

(*b*) Jacob. Uſſerius in Annalibus ad Ann. Mundi 2448. Periodi Julianae 3158.

(*c*) Euſebius lib. 10. Praeparat. Evang. cap. 9.

(*d*) Vidend. hac de re Samuel Boccardus in Phaleg., & in Hyerozoîcis, Daniel Huetius in ſuo opere de demonſtr. Evang., & Jo. Gherardus Voſſius duobus primis libris de Origine, & progreſſu Idolatriae.

ſplendoris ſacris libris afferant, & quantum authoritatis vel apud incredulos ipſos obtinere debeant.

XXXVI. Liber Joſue Divinae Authoritatis eſt, & Canonicus, cui accenſetur, & Liber Judicum, quamvis hunc recentiorem eſſe, & poſt captivitatem decem Tribuum conſcriptum quidam immeritò ſuſpicentur. Liber Ruth cum appendicis loco, libro Judicum conjugatur, non diſtinctas Revelationis Divinae notas ab ipſo praefert.

XXXVII. Primum, & ſecundum Regum, & ipſos vetuſtiſſimos eſſe non Eccleſiae modo, ſed & Scriptores omnium antiquiſſimi tradidere, Eupolemus apud Euſebium (*a*) Nicolaus (*b*) Damaſcenus, Dius (*c*), Menander (*d*) Epheſius, qui tàm Regum Barbarorum, quàm Graecorum geſta conſcripſit; Canonicos inſuper eſſe, ac Divinae authoritatis ex Canone, tùm Eccleſiae, tùm Judaeorum ultrò didicimus. Eorum author incertus; non improbabilis tamen ea opinio eſt, quae à Samuele, Nathane, & Gad, Prophetis conſcriptos eſſe arbitratur. Hi duo libri inſignes continent de Chriſto Domino prophetias. Quod autem Samuelis apparitionem ſpectat Sauli factam, cum Saul Pythoniſſam conſuluit, iis aſſentimur, quorum Sententia eſt Saulem à vero Samuele ſuam, ſuarumque proximam cladem didiciſſe; quamquam Samuelis anima ventriloquae artibus avocata non fuerit, ſed Dei providentia, & imperio.

XXXVIII. Liber Pſalm. 150. Divinus eſt. An ab uno ſolum auctore conſcriptus diſputatio omnium ſolutù difficillima. Chriſoſtomus enim, Auguſtinus, Ambroſius, Theodoretus, Caſſiodorus, Euthimius, Philaſtrius ſolum Davidem Pſalmorum ſcriptorem agnoverunt. Hilarius vero, Hieronymus, aliique Sexcenti, inquit Calmetius (*e*) non Davidem modo, ſed

(*a*) Euſeb. lib. 9. praeparat. Evang. cap. 30.
(*b*) Nicol. Damaſc. apud Joſephum lib. 7. antiquit. Judaic. cap. 6.
(*c*) Dius in Phoenicum Hiſtoria apud Joſephum contra Apionem.
(*d*) Menander Epheſ. apud Theophilum Antiochenum lib. 3. ad Autholicum, Alexander Polyſtor, Menander Pergamenus, & Letus in Phenicis apud Clemen. Alexan. lib. 1. Stromatum.
(*e*) Calmet, diſſert. in Authores Pſalm.

ſed & alios quoque eorumdem Pſalmorum authores faciunt. Haec tamen opinionum varietas nihil impedit, quin eorumdem pars maxima Davidi tribuatur.

XXXIX. Johannis Marshami (*a*) & Johannis Spencerii (*b*) novum, inauditumque commentum de Templi Salomonici origine perhorremus. Haec ſiquidem non à ruditate gentium, non ab Egyptiaca ſuperſtitione repetenda eſt, ſed ab Dei optimi maximi conſilio, & authoritate, Davidiſque, ac Salomonis in Deum pietate, & religione. Miror Johannis Spencerii innovandi pruritum; jure enim culpatur in eo mens prophana, inquit (*c*) Criſtophorus Mattheus Paffius vanis in Sacra ab ipſo Deo dictata ſerviens, quae è lacunis, & fecibus Gentilium magno numero derivat &c. Cum igitur Salomonici templi origo innumerabilibus fermè locis Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum authoritatibus in Dei nutum, atque conſilium referatur, nonniſi auſu temerario ex Gentilium ruditate eam acceſſit Spencerius.

XL. Salomonis aeternam ſalutem terribili Dei judicio incertam habemus. Huic ſapientiſſimo Regi tres tantùm ſacros, Divinoſque libros vindicamus, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum. Et ſi enim non defuerint Critici, qui veritatem hujuſmodi in dubium verterint, horum tamen momenta teruntii facimus, cum haudquaquam mirum videri debeat in tanta ſcriptorum copia aliquem fuiſſe, qui libidine famam captandi hujuſmodi evulgare potuerit opinationes; Qua in re multa peccat Ugo Grotius (*d*), recentiorum Rabinorum fabulis, nugaſque ſecutus. Non eſt igitur Proverbiorum liber Ecloga, ex iis Scriptorum ſententiis collecta, qui ante Salomonis tempora floruerunt.

XLI. Contrà canonicam Eccleſiaſtis authoritatem nullius ponderis ſunt quae vulgò obiiciuntur argumenta. Non enim aut

(*a*) Jo. Marshamus in Can. Cronico.
(*b*) Jo. Spencerius diſſert. 40. de ratione, & orig. templi T. 2. de legib. Hebraeor. ritualib. & earum rationib. cap. 1. ſect. 1. & ſeqq.
(*c*) Paffius Theologus primarius & Cancellarius Tubingenſis diſſert. praeliminari ad Spencerii opera.
(*d*) Grotius in 3. Reg. cap. 4. & praefation. in Proverb.

Digitized by Google

aut Epicureis favet, aut immortalitatem animae in dubium revocat, aut creaturarum bonitatem calumniatur, Sed Deum bonorum omnium opificem, & cordis munditiem, & rerum caducarum contemptum, animorum inſuper immortalem, aeternamqne naturam in omnem fermè paginam edocet, & ſolum quae obiiciuntur vel ex ore Impiorum deteſtando profert, aùt intra virtutis limites eorum ſuadet uſum.

XLII. Amatorium carmen eſſe Canticum Canticorum in gratiam filiae Pharaonis & non librum Canonicum a Salomone conſcriptùm impiè comminiſcuntur Caſtallio (*a*) & Ugo Grotius, cum Sacrum ſit Epitalamium nuptiarum Chriſti, & Eccleſiae Divino Spiritus Sancti inſtinctu ab Salomone concinnatum.

XLIII. Difficultates, quae circà Regum Juda Genealogias ſeſe offerunt in Regum, & Paralipomenon libris, quibus & repugnare quammaxime Matthaei, & Lucae Evangeliis videntur, etſi graviſſimae exiſtimentur, non ſolutu tamen impoſſibiles ſunt.

XLIV. Temporibus Regum Judae, & Iſraelis in Moſaica lege, ut Dei Prophetae claruiſſe inveniuntur Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Iſaias, Nahum, Abacuch, Sophonias, Hieremias, Baruch, atque omnes de Chriſto Domino oracula protulerunt. Ad tempora verò Salmanaſaris Aſſiriorum Regis, à quo capta fuit Samaria, & Regnum Iſraeliticum everſum referenda eſt Hiſtoria Tobiae (*b*). Liber Tobiae in primo quidem Sacrorum voluminum Canone recenſitus non erat, quod tamen non impedit, quin poſtèa ſit inter Sacros, & Canonicos ab Eccleſia receptus.

XLV. Sacrae Scripturae interpretum celebris eſt diſputatio de Sacrorum librorum per Eſdram reſtitutione; in qua quidem tres Sententias in Scholis jam diù obtinuiſſe comperimus; quarum prima docet Eſdram ſacros libros, qui captivitatis tempore intercidiſſe penitus ſupponuntur, memoriter

---

(*a*) Apud Natalem Alexandrum diſſert. 4. in quintam Mundi aetat. art. 4.
(*b*) Ad Annum Mundi 3283. Periodi Julianae 3993. ante Eram vulgarem juxta Uſſerii Calculum poſtquam 254. Annis ſtetit Iſraëliticum Regnum à Regno Judae ſejunctum.

Digitized by Google

riter iterum ſcriptis mandaſſe. Altera Eſdram unum à communi excidio Sacrorum Codicum volumen ſervaſſe, quod deinde poſt captivitatem tranſcripſerit, ac poſtmodum Hebraeis legendum dederit. Tertia Eſdram contendit recenſuiſſe veteres Codices, quorum verba ità exactè ſervaverit, ut tamen non eis nimio ſcrupulo deſervierit. Hanc autem ſententiam nos ità tradimus, & explicamus, ut Eſdram ſacros in Babilonica Captivitate libros diſſipatos, in unum collegiſſe, mendiſque repurgaſſe dicamus.

XLVI. Captivitate Babilonica ſoluta vaticinati ſunt Aggaeus, Zacharias, Malachias Prophetae, à quibus de Chriſto oracula praeclariſſima prolata ſunt, quaeque mirum in modum Chriſtianae religionis veritatem commendant.

XLVII. Libri tertius, & quartus Regum, nec non duo Libri Paralipomenon genuini ſunt, & Canonici, neque circà ipſos aliquod eſt; quod magnum faceſſat negotium, ſi cum iis difficultatibus comparetur quibus undique ſepta ſunt, quae narrantur in libro Judith, quas tamen multò convenientiori ratione ſolvi arbitramur, ſi Judithae Hiſtoriam ante captivitatem Babilonicam, Populique tranſmigrationem Nabucdonoſoris juſſu confectam ad annum circiter ſeptimum Manaſſis Regis Judae conſignemus, quam poſt è captivitate Babiloca reditum, graviſſimorum virorum, praecipue verò Belarmini (*a*) authoritatem, rationeſque ſequuti.

XLVIII. Hiſtoria Eſteris, quamvis & ipſa intricatiſſimis difficultatibus ſcateat, atque implicetur, eam tamen ut commentitiam, ac fictitiam, Anabaptiſtae, ac Luterani quidam nonniſi impiè rejiciunt. Inconſulto quoque nimis, & perperam Ugo Grotius ſeptem poſteriora capita reſpuit. Haec Eſteris hiſtoria non improbanda ratione ad tempora Darii Hyſtaſpidis refertur, hiſque videtur Aſſuerus ejus Maritus.

XLIX. Liber Sapientiae Sacer eſt, & Canonicus, taliſque ſemper habitus à majori Eccleſiarum parte qualis nunc ab Eccleſia univerſa recipitur. Ejus author incertus. Quae omnia de Libro Eccleſiaſtici, & de duobus Machabeorum libris primo; & ſecundo dicenda ſunt. L.

(*a*) Belarminus de verbo Dei Cap. . de Judith.

Digitized by Google

L. Per temporum ſeriem demonſtratione Religionis ad Chriſtum perducta, miſſis omnibus prodigiis, quae circà ipſius nativitatem, circumciſionem, Baptiſmum, in deſerto tentationem, harumque rerum admirabiles circumſtantias contigerunt, ad ipſius Doctrinam convertimur, atque hanc excellentiorem eſſe doctrina omnium Philoſophorum, omniumque totius Mundi Sapientum dicimus, unde & ſola veros Divinitatis caracteres praeſeferat; cui ſi addatur Chriſtum non modò veritatem humanum genus edocuiſſe, ſed & prò omnibus, ac ſingulis mortuum eſſe, adeo ut per ſuam paſſionem, & mortem verè & propriè omnes à peccato redemerit, Deo Patri pro eorum culpis cumulatiſſimam exhibendo ſatisfactionem, negotium noſtrum de veritate Religionis Chriſtianae pleniſſimè conficiemus.

LI. Neque verò inconveniens fuit, ſed congruentiſſimum, quod Chriſtus in Cruce moreretur, poſt Crucem verò mortem, ac ſepulturam ingenti miraculo in vitam ſe reſtitueret, cujus Reſurrectionis teſtes fuerint ex ejus diſcipulis pluſquàm quingenti, ad quos in Reſurrectione probanda provocaverit Apoſtolus (*a*); neque verò Reſurrectioni derogat illud, quod nonnulli ſomniarunt, eam videlicet impoſſibilem eſſe, cum mortuo vitam reddi poſſe virtute illius, qui primo contulit vitam, viri omnium ſapientiſſimi ſenſerint, ut Plato (*b*) Heraclides Ponticus (*c*) Herodotus (*d*) & Plutarcus (*e*) & Rabi Bechai faſſus eſt hanc eamdem veritatem, cui praeiverunt Joſephus (*f*) & Rabi Jeudàh Haccadoſch (*g*) in libro Rabi Abraham.

LII.

(*a*) Apoſt. 1. ad Corint. cap. 15.
(*b*) Plat. lib. 10. de Republ. ubi refert reſuſcitationem Eri Amenii, cujus & meminit Valerius maximus lib. 1. cap. 8. Euſebius lib. 11. praepar. Evang. cap. 35.
(*c*) Heraclides Ponticu s apud Laertium in Empedocle - Plinius lib. 7. cap. 32., à quibus reſuſcitatio Foeminae cujuſdam deſcribitur.
(*d*) Herodotus Ariſteum è mortuis excitatum tradit - Viden. Plinius lib. 7. cap. 5.
(*e*) Plutarcus in Romulo, nec non Eſichius de Philoſophis.
(*f*) Joſephus lib. 18. antiquit. cap. 4.
(*g*) Viden. Daniel Huetius tom. 2. demonſtr. Evang. propoſit. 9.

Digitized by Google

LII. Poſt Reſurectionem glorioſum Corpus per admirabilem Aſcenſionem ſyderibus intulit Chriſtus, ubi ad dexteram Dei Patris ſedens judiciariam de univerſo genere humano obtinet poteſtatem omnibus ſive poenas, ſive praemia ſecundum cujuſque Operum conditionem retributurus.

LIII. Chriſto in Coelis evecto ejus legem, atque doctrinam, qui eam profitebantur ſcripto tradidere; ſicque ad nos uſque novum Teſtamentum pervenit; adeò ut novi Teſtamenti Libri, quos in Canone recenſet Eccleſia tanquam divinitùs inſpirati habendi ſint. Neque difficultatem habet, quod vel de nonnullis, vel de eorum partibus aliquando dubitatum ſit, cauſſa jam dubitationis ablata. Sic quamvis Hieronymi (*a*) tempore de ultimo Marci capite, & apud Hilarium (*b*) de cap. 22. Lucae, nec non rurſum apud Hieronymum (*c*) de initio 8. capitis Evangelii (*d*) Johannis, ubi hiſtoria Adulterae legitur, dubietas nonnulla, atque anxietas olim extiterit, nihil penitùs refert, ſicut nec refert addubitaſſe Eraſmum (*e*) de teſtimonio, quod habetur in Epiſtola Johannis: tres ſunt qui teſtimonium dant in Coelo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt; ſive enim contrà incredulos agamus, ſive contra intemperantiores Criticos cum ex una parte nihil harum Scripturarum teſtimonia praeſeferant, quod vel ſit rectae rationi diſſonum, vel Divinae revelationi contrarium, vel quod irrefragabili teſtium authoritate non comprobetur, nihil eſt, quo horum locorum Canonicitatem infirmet. Quod contrà Hetorodoxos, nec non contrà Moroſiores nonnullos Sacrae Scripturae Catholicos Interpretes circà Epiſtolam ad Hebraeos, ipſam tanquam Divinam, & Pauli Apoſtoli genuinum foetum habentes defendimus, idem quoque de Epiſtolis Jacobi, Judae, ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Johannis, ejuſque Apocalypſi ferendum judicium cum Eccleſia Catholica dicimus.

(*a*) Hieron. in Ep. ad Hedibiam quæſt. 1.
(*b*) Hilarius lib. 10. de Trinit.
(*c*) Hieron. lib. 2. contra Pelagianos.
(*d*) Eraſmus Annot. in 8. cap. Johann.
(*e*) Idem Annot. in hunc locum Johann.

LIV. Ad tertium tandem voluminum genus devenit Oratio, quae vulgò Apocriſa nuncupantur, quorum ſuperiùs ſufficiens eſt facta commemoratio. Hos cum nuſquam ut Divinos univerſalis Eccleſia receperit, neque nos, ut tales recipimus.

LV. Poſt horum omnium demonſtrationem illud adhuc ſupereſt, quod pleniſſimè verae Religionis cauſſam evincat, probandum, inter tot videlicet Sectas, quibus diſcerpitur Chriſtiana Religio, ſolam Religionem Catholicam veram eſſe Religionem, coeteras vero falſas. Religioni enim Catholicae ſolum omnes verae Religionis Notae conveniunt, cujuſmodi ſunt: Nota Catholicitatis, nota antiquitatis uſquedum perveniatur ad Chriſtum, abſque ulla prorſus temporum interruptione, nota ſucceſſionis Epiſcoporum ab Apoſtolis uſque ad Nos deductorum: Unde & talis Religio jure Apoſtolica nuncupatur, nota conſenſionis Doctrinae praeſentis, veteriſque Eccleſiae, nota unionis membrorum cum inter ſe, tùm cum ſuo viſibili Capite Romano Pontifice, nota Sanctitatis Doctrinae, ejuſque efficaciae, nota Sanctitatis eorum Patrum, qui Catholicae Religionis Principes extiterunt, nota Miraculorum, nota Spiritus Prophetiae, nota in Daemones imperii, nota confeſſionis Adverſariorum; Hae, inquam, & ſi quae ſunt verae Religionis notae, in ſola Communione Eccleſiae Romanae reperiuntur. In ſola igitur Romana Eccleſia vera Religio invenitur, extra quam nulli aeternae ſalutis aditus pateat. (*a*) Cathedrae igitur Petri communione conſocior. Super illam petram aedificatam Eccleſiam ſcio; quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus eſt; ſiquis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio.

LAUS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

(*a*) Hieronymus Epiſtola 57. ad Damaſum.

Digitized by Google